

cripto de *Ecclesiarum Reconciliatione*; impresso Parmae 1694 a cujus doctrina, et autoritate minime recedendum puto: ex professo enim in illo habentur pertractata quaecumque ad Reconciliationem Ecclesiarum pertinent ex Juris Canonici Sanctionibus, ac moralis doctrinae fundamentis.

RITUS BENEDICENDI,

NOVUM COEMETERIUM PER SACERDOTEM AB EPISCOPO DELEGATUM.

TITULUS CUADRAGESIMUS OCTAVUS.

SUMMARIUM.

- 1 Delegatio pro Ecclesia benedicenda est similis pro Coemeterio.
- 2 Coemeterium venit in consequentiam Ecclesiae.
- 3 Coemeteria antiquitus eran extra Urbem.
- 4 Causae hujus Benedictionis.
- 5 Coemeteriorum origines.
- 6 Coemeteriorum varia nomina.
- 7 Dormitoria vocabantur.
- 8 Fideles mortui dicuntur dormientes.
- 9 Coemeterii etymologia.
- 10 Forma Coemeterii a S. Carolo Praescripta.
- 11 Ampliationes Coemeterii benedicendae sunt.
- 12 Cujus juris sit aedificare nova Coemeteria?
- 13 Restauratio Coemeterii, et ejus murorum ad quem spectet.
- 14 Muri circumdarii non inrant in constitutione Coemeterii.
- 15 Crux figitur in loco benedicendo.
- 16 Ratio aequalis est intra benedictionem Coemeterii et Ecclesiae.
- 17 Cuspides ferrei in summitate Crucis esse debent.
- 18 Paxillus quid sit?
- 19 Debet esse tridens.
- 20 Ejus altitudo.
- 21 Es Crucis imago, sed informis.
- 22 Mysteria hujus Paxilli.
- 23 Paxillus quare figatur in Terra.
- 24 Paramenta pro hac benedictione cujus coloris esse debeant?
- 25 Benedictio haec de mane facienda.
- 26 Coemeteria quomodo in Urbibus introducta, et prope Ecclesias.
- 27 Si Coemeteria sint distantia ab Ecclesia potest parari locus pro paramentis.
- 28 Aspergillum cujus materiae esse debeat?
- 29 Rituale Romanum adhibendum, et non alii libri.
- 30 Benedictio haec fit nomine Sanctissimae Trinitatis.
- 31 Quare lumen trinum accendatur?
- 32 Tapetum sternendum in terra ante Crucem.
- 33 Prima aspersio fit supra Crucem.
- 34 Coemeterium aspergitur tantummodo intra.
- 35 An Muri externi Coemeteriorum gaudeant immunitate?
- 36 Tutior sententia est, quod gaudeant.

- 37 Cur Benedicens Coemeterium respiciat Crucem?
38 Summa Benedictionis est, ut lux aeterna luceat Animabus Defunctorum.
39 Mysteria candelarum accensarum.
40 Quare Crux aspergatur, et incensetur?

1 2 3 4 Uniformiter se habet Benedictio Coemeterii, ac Benedictio Ecclesiae, atque eodem pacto, quo delegari potest simplex Sacerdos ab Episcopo ad benedicendam hanc separatim, et de per se; ita destinari potest ad benedicendum illud, cum par ratio sit inter ista duo loca Sacra; et iste veniat in consequentiam alterius, quamvis sit seorsim benedicendus. Cumque dari possit Ecclesia sine Coemeterio, (prout de facto antiquitus dabantur, nam collocata erant extra Urbem; quoniam intra moenia prohibitu erat Romanis, ex leg. 12. Tabularum defunctos sepelire) si tractu temporis hoc subsidio, pro Defunctis sepeliendis, muniatur, debet istud particulari Benedictione sacrari, ad illos effectus producendos, quos exponit Quart. *d. de Benedictionibus, Praeud.* 3. n. 163. nempe ut locus praemuniatur ab infestatione malignorum spirituum, ut protegantur Defuncti, et fideles excitentur facilius ad preces pro illis fundendas.

Quae igitur diximus in genere de facultate, et delegatione Sacerdotis ad benedicendam Ecclesiam, ad hunc Titulum reportanda sunt, absque alia additione, et interim ad Ritum Benedictionis novi Coemeterii procedendum.

5 6 7 8 Coemeteria itaque antiquissimae originis sunt apud Christianos: modo Areae, interdum Tumbae, Catacumbae vel Cryptae arenariae, ex loci natura nomine comparato, dici consueverunt, sed frequentius Coemeteria, eo quod fides doceret, Christianos non mori, sed rursus exitandos; interea vero in Domino obdormire: unde quasi Dormitoria vocabantur, seu Recubitoria mortuorum illorum qui ab Ecclesia dormientes dicuntur, Joann. *cap.* 11. Paul. *ad Thessalon. cap.* 4. quare domos, in quibus hospites dormire solebant, a Cretensibus Coemeterium appellari soletas narrat Samuel. *dict. Tr.* 1. *concl.* 8. *num.* 17.

9 Insuper dicitur a *Cimen*, quod est *dulce*, et *Sterion*, quod est *Statio*, idest dulcis mortuorum statio. Acta vero S. Caroli semper *Coemeterium* immutabiliter scribunt.

10 Forma vero ex praescriptis a S. Carolo in *Act. Eccl. Mediolanen.* describitur satis diligenter a Cavallerio in *Rett. Eccl. tit.* 16. *per tot.* Qui liber quamvis satis obvius sit, ei quotidie a Parochis praecipue prae manibus haberi possit, at tamen verba ipsius Italice scripta, latino sermoni tradam, atque hic efferram, ut exteris quoque Regionibus, et Sacerdotibus ibi commorantibus, qui Italicae linguae ignari sint, innotescant: multa enim in hac descriptione animadvertenda sunt

magnopere necessaria, ut attendantur in nova Coemeteriorum constructione.

DE COEMETERIO.

I. "Et si toleretur desuetudo laudabilis, et antiquissimi usus Ecclesiastici a SS. Patribus, et noviter a Sancta Tridentina Synodo adeo inculcati, habendi caemeteria, ad hoc ut ibi diutim Defunctorum corpora sepeliantur: attamen maxime necessarium est, ut in quacumque Parochia, vel saltem in quocumque Oppido, habeatur Coemeterium, adeo ut ibi plures Parochiae adsint, unum pro cunctis inserviat, saltem ad ibi transferenda, et servanda ossa Fidelium Defunctorum, tunc quando e sepulchris Ecclesiarum jam repletis eruuntur."

II "Situs aptior pro Coemeterio, esse poterit a latere Ecclesiae ad Septentrionem, si ad hoc valeat, cum hac tamen cautela, ut transitum itinerantibus non praebet: Fenestrae supra illud non respiciant, et stillicidio immunis existat."

III. "Magnum, et amplum sit Coemeterium, proportionabiliter ad numerum Parochianorum quocumque Anno morientium (libris Defunctorum inspectis) forma quadratum, vel oblongum, juxta situs naturam, ad normam periti Architecti."

IV. "Totum muro circumdetur, adeo ut sinctum ab omni parte appareat, (nisi alicujus scissae Rupis altitudine circumballetur-) Altitudo muri sit ad undecim palmos circiter, sed ob locorum penuriam toleratur etiam, ut ad quinque palmos tantum se extendat: ubi advertendum est, debere omnino adeo constructos esse istos muros, ut Bestiae prorsus, Homines vero difficiliter ingredi possint."

V. "In parte exteriori sint muri calce bene illiniti, et crustati: intus vero sint calce eadem laevigati, et trulissati, nec non dealbati: interpolate vero, in ipso muro interiori pingantur Cruces, seu piae et dovotae Imagines, vel moralia dicta ex Sacra Scriptura, vel Sanctis PP. deprompta."

VI. "Si Ecclesiae facultates id consentirent, in Oppidis insignioribus, et praecipue Coemeteriis, in quibus diutim humentur Cadavera, construi deberet aliqua Porticus, ornata atque Sacris Imaginibus adumbrata, quae Coemeterium circumcuiret: in cujus pavimento Sepulchra diversa essent affabre constructa, et per illam distributa."

VII. "In medio, alta Crux ferrea, seu etiam marmorea, eminere debet, e columna pariter marmorea, seu structili insurgens, quae Crux, si fieri possit, aliquo modo, tecto obtegatur. Ad summum vero Crux sit lignea, terrae infixae perpendiculariter, et eminens quantum satis."

VIII. "In aliquo Coemeterii latere, ubi commode fieri pos-

“sit, adsit locus, seu loculamentum publico intuitu expositum; muro munitum, et tecto fornicato (ubi fieri possit) in quo Ossa nuda mortuorum, quae a sepulchris effodiuntur, in acervos constructa collocentur.

IX. “Laudabile esset, si in Coemeterio ad Orientem (si comode fieri posset) construeretur Cappella, in qua pro Defunctis orari posset: laudabilius vero, si ista Cappella omnibus necessariis ad celebrationem Missae constructa esset.”

X. “In qua Capella, vel (si non adsit Capella) sub Cruce, vel in alio commodiori loco, et non sub dio, adesse debet Vas Aquae benedictae, cum aspergillo, non ibi obligato, sed libero, ut ex eo fieri possit aspersionis.”

XI. “Caeterum nec intra, nec extra Coemeterium, muris colligatae, seu pendentibus esse debent Vites, aut Arborea cum juscumque generis, neque exigua arbusta. Pariter neque foenum, neque herba, neque lignorum acervi, seu travium, Caementa, aut rudera, nihilque prorsus, quod loci sanctitati, ac decori repugnet.”

XII. “Denique Coemeterio Portae, et quidem fortes ne desint, clave, et ferra munitae: Tres numero esse possunt in fronte; aliqua etiam lateralis non indecens erit: sed si loci augustia id non ferat, unica tantum sufficiens erit, convenientis vero latitudinis.”

XIII. “In fronte Coemeterii, et supra Portam ejus ab extra, emineat seu pigta, seu sculpta Imago Sanctissimae Crucis, in cujus pede, humani Cranii denudati effigies appareat: non vero ipsum Cranium naturale, cum vetitum sit a Sacris Canonibus hujusmodi Crania, extra Sepulchra, etiam in Ecclesiis tenere.”

11 Haec sunt quae de Coemeterii Constructione affert Author enunciatus, sed multo majora etiam habentur in Act. p. 4. c. 27. de Sepulchris, et coemeteriis, pag. mihi 489. quae non nisi laudabile esset, si adamussim adimplerentur; quibus addam, quae refert Samuel. de Sepult. Tract. 1. contr. 16. concl. 5; num. 10. ad 12. circa amplitudinem Benedictionis Coemeterii quae non se extendit nisi ad limites primo destinatos; nec comprehendit ampliationes, quae postmodum fieri possunt. Coemeterium antea Benedictum, si postea amplificetur, et majus reddatur per alterius loci additionem privati, cum nova interveniente Benedictione, et solemnitate Dioecesani, fit locus sacer; alias minime gentium. Probatum; nam ad constituendum locum Sacrum requiritur deputatio cum aliis solemnitatibus, et Dioecesani Benedictione, prout in Authent. de Ecclesiae, §. Si quis, de fabrica, cum authent. de Mot. §. Illud. Nam pars addita non est Coemeterium: quia Coemeterium est locus benedictus. Fidelium sepulturae dedicatus.

Hac occasione, non incongruum duco (ob varias, quae in

dies insurgere solent quaestiones) aliquid superaddere circa aedificationem novi Coemeterii, cujus juris sit, inquirendo primum, et deinde, ad quem spectet Murorum ipsiusmet restauratio.

12 Quo ad primam Quaestionem, nempe ad quam spectet Coemeterii aedificatio: supponendum, et praemittendum est, quod alias diximus, parem rationem esse inter Ecclesiam, et Coemeterium; imo istud necessario venire in consequentiam alterius, Quart. Praeud. 3. n. 163. Quo stante, videtur dicendum, aedificationem Coemeterii spectare ad eundem, qui Ecclesiam construxit; Accessorium enim sequitur naturam principalis, de Regul. Jur. in 6. et illud Accessorium dicitur, quod per consequentiam sui principalis venit, l. Athletas, §. si ve autem, ff. de his qui not. infam. Principale autem quod primario intenditur, et in quod partium intentio principaliter dirigitur, Nid. in Reg. Jur. Reg. 42. not. num. 1. quae Regula ad quaecumque dispositiones, actionesque humanas, tam in spiritualibus, quam in temporalibus ampliatur per Petr. Pech. n. 3. relat in specul. tit. de except. §. 3. vers. sed quid, si gratia, etc. Nid. d. n. 19. et praecipue de Ecclesia loquendo (licet formaliter) habemus quod Ecclesia unita sequitur naturam Ecclesiae, cui facta est Unio, Oldrad. Cons. 257. n. 16. Tusch. lit. A, concl. 76. nu. 3. et quod membra Monasterii sequuntur caput, nimirum ipsum Monasterium, de Sen. cons. 151. n. 3. Tusch. num. 5. Nid. d. n. 10. Quod ad materialem Ecclesiam reportari potest; Coemeterium enim membrum esse Ecclesiae nemo dubitat, quamvis ab Ecclesia remotum, Anaet. T. 28. n. 5. Tom. 3. imo membrum necessarium; inutilis enim redderetur Ecclesia (loquor de Parochiali specialiter) si absque Coemeterio aedificaretur, vel ad ibi sepelienda cadavera defunctorum, vel reponenda ossa, cum evacuantur sepulchra Ecclesiae, pro quibus causis Coemeteria instituta esse declarat S. Carolus Act. p. 4. c. 27. de Sepulch. et Coemeteriis. Itaque Accessorium in hoc casu est tale, quod principali potest ita et taliter, ut sine eo res vel inutilis, vel nulla redderetur, c. si supra gratia de Offic. deleg. in 6. l. cum fundas, ff. de Fund. instrum. taliter enim inest, ut sit portio, vel pars illius, l. etsi non sunt §. Praeveniamus, ff. de aur. et arg. legal. in rem, §. 1. et 2. ff. de Rei benedictione; atque hic verificatur intelligi hanc Regulam de Accessorio per viam necessitatis, et per viam inhaerentiae, juxta tradita a Tusch. lit. A, concl. 75. nam taliter necessarium, et adhaerens est Coemeterium Ecclesiae, ut perdat naturam propriam, et recipiat naturam principalis, cui adnectitur Roman. Cons. 330. num. 14. Barbos. num. 6. axiom. 4. numer. 7. Tusch. concl. 76. numer. 27. pro quo habetur exemplum quod concessa, seu vendita; aut legata aliqua domo, venit

etiam hortus contiguus, tanquam accessorius ad Domum, sive tanquam de pertinentiis domus, *l. Praediis §. Qui domum, ff. delegat. 3. Alex. Vol. 2. cons. penult. et cons. 54. l. 3. et Cons. 26. l. 4.* et alii quos sequitur *Nid. d. Reg. 42. Comentar. num. 25.* ubi clarius in terminis Sepulturae, habeatur, quod concessa sepultura, etiam celebratio pro Defunctis concessa praesumitur, *Federic. de Sen. cons. 186. in princip. Barbos. Axiom. 4. num. 5.* Ex quo illatio fieri potest, quod si intelligitur post concessionem sepulturae, etiam concessa celebratio Officii quae venit de consequenti, possit etiam intelligi, suis loco, et tempore, evacuatio ejusdem sepulturae, et in Coemeterium, ossium immissio: et si Coemeterio destituta esset Ecclesia, ad hunc finem esse construendum ab eo, qui sepulturam concessit, nec nova concessio est, sed intelligitur in prima, cum enim Coemeterium sit pars Ecclesiae, ex additis, in toto partem non est dubium contineri, *de Reg. jur. in 6. Reg. 80.* Quibus sic stantibus, haec Conclusio facile statui potest: aedificationem, seu constructionem novi Coemeterii spectare ad illum, qui Ecclesiam aedificavit. Si vero nulla certa scientia de hoc habere retur, opinor, hoc jus ad possessorem devolvi: rationi enim congruit, ut succedat in onore, qui substituitur in honore, *de Reg. jur. in 6. Reg. 77. c. Filii, vel Nepotes, 16. q. 6.* nec aliter intelligendam puto sententiam *Lavorri Lucubr. T. 1. tit. 2. c. 8. n. 5.* qui asserit, Ecclesiasticam pecuniam impendi debere pro construendis Coemeteriis, *c. aurum. 70. c. nono, ubi glos. 21. q. 2.* licet illam unice ad casum necessitatis reducat, *Sperell. dec. for. Eccles. P. 1. dec. 68. num. 8.* sed cum de ista necessitate nulla mentio sit in allegato *c. aurum, etc.* tanquam illa, quae nullam habet legem pro se, *l. tutor. qui repert. ff. de administr. tutor. Barbos. Axiom. 157.* Restrictio Sperelli videtur nimis rigurosa; et absque ullo fundamento. Atque haec dicta sint circa Jus construendi Coemeterium.

13 Potior vero, et frequentior quaestio, perque Tribuna- lia quotidie agita est: Ad quem spectet Restauratio Coemeterii, et ejus Murorum? Sperellus *p. 1. dec. 68. nu. 8.* libere, et authoritatibus, tanquam Ordinarius, asserit, se coegisse semper Parochianos ad hanc vel reparationem, vel restaurationem, etiam si Beneficiatus illius Ecclesiae esset dives, eo quia quamvis Coemeterium sit accessorium ad Ecclesiam, nihilominus, nil aliud in se continet praeter sepulchra ipsorum Parochianorum: sepulchrum autem non est conficiendum sumptibus Parochi, sed Parochianorum: quod tamen limitandum venit, et dicendum de sepulchris, seu Familiae, seu particulares Personae, non vero de iis, quae Parochianis in genere inserviunt, et dicuntur sepulchra communia tum pro Viris, tum pro Foeminis illius Parochiae, vel pro Infantibus, seu pro iis qui sepulchrum non elegerunt, cujusmodi vere sunt sepulchra, seu foveae,

quae in Coemeteriis communiter aperiuntur. Eandem sententiam plenissime confirmat *Panimoll. dic. 5. adnot. 8. num. 31. dec. 15. adnot. 1. num. 44.* sed rationibus Sperelli nimium in-nixus, nullum aliud novum, vel majus argumentum affert ad corroborationem sententiae prolatae.

Contra quam tamen nonnullas habeo rationes, et illationes faciendas, per quas melius inspecto negotio, et debitis limitationibus apposis, fortasse Judicem a decisionibus tantorum Doctorum se reponentem inveniam.

Et primo: Considerando Coemeterium similis naturae ac Ecclesia, quoad sepulchra; et parem rationem esse inter illud et illam, ut supra demonstrabimus, disparitas esset assignanda, cur si reparanda est Ecclesia collapsa ex fructibus, et proven-tibus ejusdem Ecclesiae, ut ex *Conc. Trid. sess. 21. de Ref. cap. 7. Barbos. de potest. Episc. alleg. 64. n. 8. A Mostaz. de causis piis, T. 2. l. 5. c. 6. n. 26. ex c. 1. et 4. de Eccl. aedificand. c. final. de his quae fiunt a major. part. Capit. Panimoll. dec. 15. ad n. 1.* nam fructus omnes illius Ecclesiae sunt de jure obnoxii, et hypothecati ad ejus constructionem, et reparatio-nem. *A Mostaz. ibid.* cum Berrojo, et Utriuigoyt *de Eccl. Cath. c. 13. n. 25.* sub eadem ratione, et hypotheca non sit considerandum quoque Coemeterium, pars, et membrum neces-sarium Ecclesiae, ut cum Anacleto supra demonstratum fuit. Connexorum enim idem debet esse judicium. *justa Reg. de qua in l. jam hoc jure, ff. de vulg. et in l. eum qui ced. ff. de usuaep. Postius de manut. dec. 104. num. 8. Mansi Consult. 35. T. 1. n. 22.*

Secundo. Nimis arcta Sperelli sententia mihi videtur, dum rigurose dicit; *Coemeteria non continere, nisi sepulchra Paro-quianorum:* Si enim attendenda sunt quae ex *Act. p. 4. cap. 7.* demonstravimus constituta a S. Carolo, et relata noviter a *Cavallerio d. tit. 16, per tot.* non sola sepulchra Parochiano-rum continen Coemeteria. Vide quot enumerata sunt in In-structione pro fabrica Coemeterii, et invenies *sub. n. 9.* Cape-llam, et Altare instructum omnibus necessariis ad celebratio-nem Missae, necnon alia ibi descripta, quae per muros circum-darius ejusdem Coemeterii, tumentur, eo modo, quo á munis Ec-clesiae tumentur sepulchra, et alia in illa existentia. Si igitur reparandi sunt muri Ecclesiae ex fructibus ejusdem, ex supra allegat, non video quomodo a reparatione Coemeterii iidem proventus retrahendi sint, quando utraque loca in se continent sepulchra Parochianorum.

Uterius, tunc cum in Instructione pro fabricando Coemete-rio *ad. n. 6,* dictum fuit pro construenda Portica circa idem Coemeterium; *Si Ecclesiae facultates id consentirent, etc.* clare apparet, totum unus hujus aedificationis Parocho, vel illius Ecclesiae administratori, datum fuisse, nulla facta mentione

Parochianorum, seu Incolarum: sed istae facultates supponere debent possibilitatem manutentionis: qui enim fundavit Ecclesiam, tenetur praestare dotem sufficientem pro victu Sacerdotis, luminariis, fabrica, et aliis necessariis, *c. nemo de consec. dist. 1. Panimol. dec. 15. adnot. 1. n. 38. 39.* igitur ad reparationem illius quoque tenetur qui fabricam construxit: nam conexorum alterum recipiens, censetur ad alterum se obligare, *in c. Tuae litterae, n. 59. de Cler. per salt. promot. Gloss. in Clem. Ut ii, in verb. Removeantur. eod. tit. ubi Fagnan. T. V. in d. c. Tuae litterae. n. 59.*

Neque redargui potest opinio mea, ex quo *in d. instructio- ne* pro construendo Coemeterio, superallegata, *ad. n. 4.* moderatur altitudo murorum per haec verba *ob locorum penuriam*, ac si de paupertate inhabitantium in illa Parochia intelligendum sit: Vox enim illa *locorum penuria*, interpretanda est pro angustia situs, et pro difficultate fundamenta profunda faciendi, non pro territorio, vel districtu, seu Parochiae, vel jurisdictione, prout vult Antonel. *de loco legal. l. 1. c. 1. n. 6.* et ratio est quia in allata Instructione, de Parochia nullus sermo est, sed de loco, hoc est de situ, et ambitu individuo, atque signato pro construendo Coemeterio: et in hoc casu Locus non est fundus, sed portio aliqua fundi, ex meo Clarissimo Coelio Calcagnino, *de verb. significat. pag. 373.* quae portio illa tantum esse potest, in nostro casu, quae valet pro fundamentis murorum. Penuria itaque loci venit pro angustia situs, et pro difficultate fundamenta faciendi (prout dari potest in paludoso solo, vel in saxoso) non autem pro paupertate Parochianorum, qui ad expensas in fundatione horum murorum non tenentur, et multo minus in illorum reparatione, etiam per hoc, quod muri circumdari non enumerantur inter requisita a Synodis ad construendum Caemeterium, ut per Mar. Ital. *de Immunitate, l. 1. cap. 4. §. 7. num. 33.* refert Pignatell. *T. 6. consult. 41. num. 9.*

Insuper si quid in Coemeterio peragendum est, unice ab eo, qui illius Dominus est, confici debet, ad quod videtur relationem habuisse Sacra Concilii Congr. in una fossanen. 19. Septembris 1336. quam refert Nicol. *Flosc. verb. Coemeterium: et Lucubr. T. 2. l. 5. tit. 36. de Pollut. Ecclesiae.* Ibi rescriptum fuit *Ad expurgationem Coemeterii teneri eum, penes, quem residet cura Animarum, et emolumenta Funerarium percipit. In subsidium vero teneri populum.* Nec ista expurgatio intelligi debet pro simplici herbarum evulsione, extirpatione: ageretur enim de paupere Regno, ad quod obligari solent communiter Campanarii, et Custodes Ecclesiae; ex officio; sed cum non omnia Coemeteria, vel non omnia Coemeteriorum sepulchra subdit sint, nec herbis obnoxia, hinc est quod expurgatio ista intelligenda est pro ossium humanorum

effossione, quibus seu foveae, seu sepulchra jam plena sint, nec locum cadaveribus venturis praestare valeant, pro quibus ossibus ambitum, seu cellulam constituendam decrevit S. Carolus *Act. p. 4. de sepulch. et Coemet. c. 27.* per haec verba *De loco ossario: (fortasse Ossuario) certus praeterea locus intus sit pariete undique septus, et tecto ac fornice, ubi potest, opertus:isque in omnium conspectu sit, ubi mortuorum ossa, aliquando effossa, ordine struantur.* In hac expurgatione expensae non modicae quandoque occurrunt; per varios enim dies Operarii multi in sudare possunt juxta amplitudinem Coemeterii; et tamen licet expensae sint graves, nihilominus ad illas teneri Parochum (Parochus enim est *penes quem residet cura Animarum*) decrevit Sacra Congregatio Concilii, quae incommodum Parochorum posthabens, prout de jure sibi visum fuit, favore populi pronunciavit. Si itaque expurgatio, quae commodum Coemeterii, et utilitatem Populi respicit, Parochis injuncta est, etiam gravi dispendio, non video cur reparatio murorum ipsius, eidem parochi non sit injungenda, quamvis nullum sibi commodum acquirat, sed totum opus ad favorem Populi perficiatur. Pro qua sententia, favore Parochianorum, et si neque Doctorem, neque Decretum, neque Responsum, neque Resolutionem vel Sacrae Congregationis, vel Sacrae Rotae Decisionem habeam, Rem judicatam tamen in ferrariense signatura anno 1717. afferam, quae facit de albo nigrum, et sufficit eam allegare, ad hoc, ut faciat de non debito debitum, Carocc. *de except. exc. 123. n. 48. exc. 24. n. 3.* Proposita itaque causa pro Communitate Terrae Portus Majoris Diaec Ravenn. in Ducatu Ferrariae, et Archipresbyterum illius Ecclesiae Majoris Collegiatae tanquam Parochum coram Em. Cardinali Patritio Ferrariae de latere Legato, Viro vere Doctore, pro refectione expensarum factarum in restauratione murorum Coemeterii illius Ecclesiae, facta vigore Decreti emanati in Visitatione habita ab Archiepiscopo Ravennaten. qui decreverat refici debere muros supradictos expensis habitantium in illa Parochia, quas expensas instructio judicio in devolutivo, Communitas repetere intendebat, quoniam oculis clausis, et promte paruerat hujusmodi Decreto, a quo non datur appellatio, tanquam in Visitatione facto, cum pluribus Pignatell. *T. 1. Cens. 388. n. 1.* et declaravit S. C. C. *in una Januen. 4. Februarii 1651. ad c. 10. sess. 24. de reform. in Trid.* quia quando agitur de cultu Divino, aliquid decernitur favore Ecclesiae, et ipsius divini Cultus, tunc, ne interim diminuatur, vel pereat, ab iis decretis non datur appellatio suspensiva, Rebuff. *trac. de sent. provis. in praef. n. 37. et 38, tom. 1.* Re itaque plene, et mature per plures rationes hinc inde allatas discussa, Decretum emanavit gravatorium contra Archipresbyterum, seu Parochum, pro refectione expensarum factarum a Communitate in restau-

ratione murorum Coemeterii, Nec autoritas Sperelli, quae unica est in hoc casu favore Parochi, considerata fuit ex quo talis D. l. c. id asseruit debere fieri, quod ipse fieri decrevit, authorizando rem propriam cum proprio decreto authoritative, et manu regia. atque ut ita dicam, more Belli, potens, et volens, non vero cum fundamento, et ratione.

Quod si aliquando, expensis Parochianorum, ob paupertatem Ecclesiae et Parochi, restaurata fuerint Coemeteria, hoc regulam contrariam opinioni meae non firmat, juxta regulam, quod in argumentum trahi nequeunt quae propter necessitatem aliquando sunt concessa, *de Reg. Jur. in 6. reg. 78. ibi gloss. num. 3.* ideoque stat semper quod, de jure, ista reparatio ad Parochum spectet, non vero ad Parochianos, nisi per modum subsidii.

Quae diximus de Coemeterii restoratione, ad quam tenetur Parochus, valent tantummodo quando Ecclesia sit liberae collationis: Quod si esset de Jure patronatus, tunc ista obligatio restaurandi Coemeterium devolvitur, seu remanet apud ipsosmet Ecclesiae Patronos: nam eo pacto quo tenentur Ecclesiam reparare, nulla videtur ratio in contrarium, cur Coemeterium quoque reparare non debeant, cum ex dictis hoc veniant in consequentiam Ecclesiae. *Quart. Praeud. 3. n. 163.* sicut enim juspatronatus acquiritur ex reaedificatione Ecclesiae dirutae. *Gloss. 1. in c. 3. ubi D. D. praesertim Abb. n. 8. de Jurepat. Host. in summ. eod. tit. §. ex quibus, verb. Quid si reaedificavit, Rota coram Coccin. 21. Feb. 1625.* apud Vivian. *de Jurepatron.* ita in reaedificatione, seu reparatione Coemeterii Juspatronatus non tantum acquiritur, sed servatur, cum unum, et idem faciant Ecclesia, et Coemeterium, hac tantum interposita distinctione, quod Ecclesia sit principale, Coemeterium vero accessorium, quamvis ab Ecclesia remotum. Quare unice dispensantur ab obligatione reparandi Coemeterium Parochi illi, qui ecclesiam regunt de jure patronatus.

De modo distribuendi Taxam, et Ratam (in casu paupertatis Ecclesiae) inter Parochianos: vide A Mostaz. *de causis piis, l. 5. c. 6. de Reparandis Ecclesiis.*

Sed ut ad Rituale nostrum redeamus. Aedificato Coemeterio, ad illud ab omnibus aliis locis distinguendum, haec servanda sunt, videlicet.

§. I. Pridie quam fiat Benedictio, ponitur in medio Coemeterio benedicendo, lignea Crux alta ad staturam hominis: et ante ipsam Crucem in terra figitur Paxillus tridens ligneus, altus ad Cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres Candelas.

16 Eodem pacto, quo in benedicendo, et imponendo primario lapide pro Ecclesia aedificanda, pridie quam benedicatur figitur Crux in loco, ubi debet esse Altare; ita et in benedicendo Coemeterio, pridie debet poni Crux in medio ejus ob rationes in dicta benedictione a nobis adductas: Coemeteria enim, ut alibi diximus, et Ecclesiae fere pari passu ambulant quoad consecrationem, vel benedictionem, Passerint. *de pollut. Ecol. disp. 2. cap. 46. n. 5.* in cujus doctrinae confirmationem clara est assertio Pignatelli *T. 10. cons. 117. n. 1.* Neminem aedificare posse Ecclesiam nisi prius Civitatis Episcopus, seu alter, de ejus concensu veniat, et ibi Crucem figat, ex quo clare inferitur aequalem rationem esse inter Ecclesiam, et Coemeterium, saltem quoad Benedictionem, si in ambobus pro exordio rerum agendarum figitur Crux.

17 In summitate hujus Crucis atque etiam in extremis brachiis accommodantur cuspides ferrei, ut in eis candelas affigi possint, *Castald. Prae. l. 2. sect. 11. c. 7. n. 1.* sed Candelae nondum figuntur in illis cuspidibus, quia Crux nondum est benedicta, neque nondum accendendae sunt.

18 19 20 21 22 Paxillus, sive parvus palus ex quacumque Arbore esse potest, et curari debet ut tridens sit, quia in summitate ejusque rami cuspides ferrei plantari debent, in quibus possint commode affigi tres Candelae, nempe una pro quocumque cuspidem, *Castald. ibid.* Iste Paxillus ad altitudinem unius cuspidis destinatur, ne superemineat Cruci, seu illius dignitatem occupet: est enim Crux informis, quae in veram Crucem transformari debet; quod fit in memoriam serpentis Mosaici exaltari in deserto super ligno, quod fuit symbolum Crucis *Joan. 3.* Sed ne fiat ista nimis materialis metamorphosis de Paxillo, super quem ponuntur et accenduntur Candelae antequam expleatur Benedictio. Hac vero expleta fit transitus de lege veteri ad novam, et de Paxillo ad Crucem de significatione ad significatum, de Moyse ad Christum, et Crux est, quae altior Paxillo eminet, et accensa coruscat, sicuti lex Gratiae adimplet, non solvit legem naturae:

22 Figitur in Terra iste Paxillus, quod distincte praecipit Rubrica dicens: *In terra figitur Paxillus*, eo quia lex antiqua in Marmore primo scripta fuit, de Cruce vero, dicit eadem Rubrica, *Ponitur non figitur*, quia est lex eminentior, sanctior; unde nonnulli in praxi hujus Benedictionis ponunt Crucem ligneam super Mensam ibi paratam, non autem in Terra.

§. II. Sequenti die, mane Sacerdos in Sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus, et Clericis indutis superpelli-